

non baptizatum etc. sepeliunt. Ratio est, quia lex hæc utpote pœnalis ultra casus et personas expressas non est extendenda, prout amplius diximus. lib. I. tit. III. de *Constit.* § 49, a n. 427. A qua tamen pœna etiam et præfatis aliquem sepelientes excusantur, qui ex ignorantia, vel gravi metu coacti id faciunt, arg. cit. Clem. et c. n. de *Hæret.* in 6. ibi: « Qui scienter, et propriæ temeritatis audacia præsumunt. » Pirhing, h. t. n. 79; Glossa, ibid. *¶ Scienter.* Item illi, qui tempore interdicti sepeliunt in casibus a jure concessis: veluti si clerici servantes interdictum, in secreto sine campanarum pulsu, aut privilegiati confratrem sepeliunt. Glossa, ibid. *¶ a Jure.*

96. *Per sepelientes quinam intelligantur?* — Porro quinam per sepelientes hinc intelligantur, optat Glossa, in cit. Clem. 1. h. t. *¶ Sepelire.* declarationem principis. Ancharanus tamen in cit. Clem. 1. h. t. n. 10; Pirhing, h. t. n. 80. et alii volunt, huic pœnæ subjacere non tantum, qui propriis manibus mortuum in sepulcrum immittunt, sicque materialiter sepeliunt, sed etiam qui procurant, mandant, aut concedunt, uti rectores, aut parochi ecclesiarum; secuti et qui exequantur sepulturam: item juxta Ancharanum loc. cit. dissentiente Pirhing, qui comitantur funus, crucem portant, luminaria deferunt, sepulcrum aperiunt, etc. Ratio est, quia omnes isti participant in crimine criminoso, consequenter omnes dictæ pœnæ subjacent, arg. c. *Nuper. de Sentent. excommunicat.*

97. Cæterum licet pro sepelientibus reliquos non specificatos indignos nulla certa reperitur pœna in jure, peccant tamen mortaliter, utpote in gravi causa agentes contra prohibitionem Ecclesiæ, et subjacent arbitrarie pœnæ ab episcopo infligendæ, utpote qui potest quovis transgressores legum ecclesiasticarum punire. (ADNOTATIONES XLII et XLIII.)

## TITULUS XXIX.

## De Parochiis et alienis Parochianis.

1. *Ratio continuationis.* — Quandoquidem sepultura in ecclesia parochiali est peragenda, nisi alia eligatur, vel habeatur sepultura

majorum; hinc compilerator canonicum præcedendi titulo *de Sepulturis* præsentem *de Parochiis* merito subjungit.

2. *Parochia improprie sumpta, quid, et unde?* — Quæritur 1. Quid sit parochia? a quo erigi possit? et quæ ad eam constituendam requirantur? Ante responsionem notandum, parochiæ duplicem esse acceptiōnem in jure. Aliquando enim accipitur, sed improprie, pro tota diœcesi, uti patet ex can. *Si quis.* 4, et duobus seqq. dist. 92, et c. *Ad Apostolicæ. de Decimis.* ibi: « De parochia unius episcopi in diœcesin alterius. » Unde etiam parochianus pro diœcesano sumitur. c. III. h. t. ibi: « Nullus episcopus alterius parochianum judicare præsumat. » Regulariter autem ac proprie loquendo sumitur, ut indicat conclusio sequens.

3. *Parochia proprie sumpta, quid, et unde?* — Resp. I. Parochia, quæ alias etiam parochia dicitur, est certum territorium, seu districtus per Papam, vel episcopum determinatus, habens unum rectorem stabilem cum potestate populum ibidem existentem regendi et judicandi, eique sacramenta, aliæque divina administrandi. Additur « per Papam vel episcopum determinatus: » quia quævis parochia habet certos ac determinatos limites, certumque assignatum, ab aliis distinctum districtum, intra quem, et non extra jurisdictionem in foro pœnitentiæ habet, et exercere potest parochus. arg. c. I. cau. 43. q. 1. Pro quo sciendum, quod licet olim curam animarum totius diœcesis solus episcopus per sacerdotes pro suo libitu missos, et ad nutum amovibiles administravit, assignatis cuivis laboranti sacerdoti iis sustentationis mediis, quæ episcopus pro tali judicaverat sufficientia, ut propterea tota diœcesi merito diceretur parochia, arg. cit. *Juribus.* n. præced. Tamen, quia successu temporis experientia docebat, hunc regendi modum ob multitudinem populi continuo crescentem, et ob alia incommoda minus proficuum esse ac utilem reipublicæ christianæ, quælibet diœcesis secata et partita fuit in plures Ecclesiæ parochiales seu parochias assignato cuivis earum certo ac stabili rectore, seu parochi, qui intra illam parochiam seu certum sibi assignatum districtum, populum ibidem existentem in spiritualibus debite pasceret, et regeret. Unde ab hæc partitione nomen parochiæ derivatum putat Abbas, in *Rubr.* h. t. n. 1. ut parochia idem sit, ac parochia curæ; quamvis alii aliam de-

rationem afferant: ut videre est apud Vailensem, h. t. Præter divisionem parochiarum divisa sunt etiam bona mere ecclesiastica, prius soli dispensationi episcoporum commissa, assignatis cuivi parochorum suæ parochiæ decimis, una cum reliquis juribus parochialibus, in quibus infra n. 9. Idque totum patet ex can. 1. cau. 43. q. 1. ubi ita narrat Dionysius Papa: « Ecclesias singulas singulis presbyteris dedimus parochias et cœmeteria eis divisimus: et unicuique jus proprium habere statuimus ita, videlicet, ut nullus alterius parochiæ termines, aut jus invadat, sed sit unusquisque suis terminis contentus, et taliter ecclesiam, et plebem sibi commissam custodiat. »

4. *Parochias erigere et dividere præter Papam solus potest, et debet episcopus.* — Porro dicitur notanter in definitione parochiæ, « per Papam, vel episcopum, » ad innuendum, quod nemo, nisi Papa, vel episcopus parochias erigere possit, prout colligitur ex can. *Nullus omnino.* 11. cau. 16. q. 7. et docet ibi Barbosa cum communi DD. Accedit novissima constitutio concilii Tridentini, sess. 24. *de Reform.* cap. XIII. ubi mandat etiam sacra synodus episcopis, « ut in iis civitatibus et locis, ubi nullæ sunt parochiales Ecclesiæ, quamprimum fieri curent, non obstantibus privilegiis quibuscunque et consuetudinibus etiam immemorabilibus. » Eandem potestatem parochias erigendi adhuc magis auget idem concilium Tridentinum, sess. 21. *de Reform.* cap. IV. ubi ulterius episcopis concedit, quod etiam nimis amplas parochias dividere valeant, imo ut dividant, mandat, casu quod id necessarium videtur, verba relatu digna sunt sequentia: « Episcopi etiam tanquam apostolicæ Sedis delegati, in omnibus ecclesiis parochialibus, vel baptismalibus, in quibus populus ita numerosus est, ut unus rector non possit sufficere ecclesiasticis sacramentis administrandis, et cultui divino peragendo, cogant rectores, vel alios, ad quos pertinet sibi tot sacerdotes ad hoc munus adjungere, quot sufficient ad sacramenta exhibenda, et cultum divinum celebrandum. In iis vero, in quibus ob locorum distantiarum sive difficultatem parochianis sine magno et incommodo ad percipienda sacramenta, et divina officia audienda accedere non possunt, novas parochias etiam invitatis rectoribus juxta formam constitutionis Alexandri III. Quæ incipit, *Ad audientiam,* constituere possint. Illis autem sacerdotibus

qui de novo erunt ecclesiis noviter erectis præficiendi, competens assignetur portio arbitrio episcopi ex fructibus ad Ecclesiam matricem quomodocunque pertinentibus: et si necesse fuerit, compellere possit populum ea subministrare, quæ sufficient ad vitam dictorum sacerdotum sustentandam non obstantibus quibuscunque, » etc. Formam, ad quam se remittit concilium parochiam dividendi, exhibet, c. *Ad Audientiam.* 3. *de Ecclesiis edificand.* quod lege.

5. *Parochus non est ad nutum amovibilis. habet varia nomina.* — Dicitur ulterius « habens unum rectorem stabilem, » quia amplius ut olim non ad nutum amovibilis, sed stabilis ac perpetuus præest ac instituitur in quavis parochia rector, qui ordinarie vocatur parochus juxta concilium Tridentinum, loc. cit. subinde vero « Rector Ecclesiæ parochialis, » dicto concilio Trident. Olim etiam plebanus dicebatur, c. *Scriptum.* 40. *de Elect.* a plebe seu populo, qui sub ejusdem cura spirituali in parochia degit. Nonnunquam « Sacerdos proprius, » c. *Omnis utriusque.* 12. *de Pœnit. et remiss.* Aliquando etiam capellanus, tunc nempe, quando in Ecclesia monachorum curam gerit, c. I. *de Capellis monachor.* Frequenter etiam curatus a cura spirituali, qua commissum sibi populum regit. Regulariter autem et ordinarie, ut dictum, hodie parochus appellatur. Reliqua verba adduntur ad indicandum officium et potestatem parochi.

6. *Ad parochiam requiritur primo, ut auctoritate episcopi sit erecta. Secundo, ut habeat certum districtum, ac populum.* — Resp. II. Plura requiruntur ad constitutionem parochiæ, seu ad hoc, ut Ecclesia aliqua dicatur, sit, et probetur parochialis. Et quidem primo requiritur, ut auctoritate Papæ, vel episcopi sit erecta, prout patet ex dictis n. 4. Præsumitur autem erecta episcopi auctoritate, ex lapsu temporis, quo rector Ecclesiæ officia peregit, sacramenta administravit, ac reliqua parochialia præstitit, et recepit, Afflict. decis. 368. n. 5; Barbosa, *de Offic. et potest. paroch.* p. 1. cap. I. n. 39. et alii ab eodem citati.

Secundo requiritur certus locus, ac districtus cum certis limitibus ab episcopo determinatis juxta dicta n. 3, arg. can. 1, cau. 43, q. 1. In quo loco decem saltem esse debent mancipia, seu, ut alii legunt, municipia, id est domus aut familiæ, can. *Unio.* 3, cau. 40. q. 3. ubi statuitur, « Ut Ecclesia

quæ decem habuerit mancipia, super se habeat sacerdotem; quæ vero minus decem mancipia habuerit, aliis jungatur Ecclesiis. » Ratio est, quia decem faciunt plebem at bene ibidem advertit Glossa, *ŷ. Mancipia*. Verum hodierna praxi et consuetudine in erectione parochiæ non tam attenditur ad numerum populi, quam ad id, an, et quomodo parochus instituendus congruam possit habere sustentationem; item an populus ad Ecclesiam parochialem commode convenire, ibique sacramenta percipere, et divina officia frequentare valeat.

7. *Tertio, ut habeat unum eumque perpetuum parochum.* — Tertium est ut unum solum, ac perpetuum rectorem seu parochum habeat. Concilium Trident., sess. 24. *de Reform.* cap. XIII. ibi: « Cuicumque parochiæ suum perpetuum peculiaremque parochum assignent, qui eas cognoscere valeat, et a quo solo licite sacramenta suscipiant. » Qui parochus juxta dicta n. 5. varia sortitus nomina in jure, quæ tamen in effectu regulariter sunt synonyma, uti bene advertit Barbosa, loc. cit. n. 43.

8. *Cum cura animarum.* — Quartum est, cura animarum, et potestas fori pœnitentialis competens soli rectori Ecclesiæ, ita ut jure ordinario in parochianos nullus alius, sed solus ac unicus parochus prædictam habeat curam, arg. cit. concil. Trident. ibi: « Peculiarem parochum, a quo solo licite sacramenta suscipiant, » etc. et can. *In apibus.* 41. cau. 7. q. 1. Nam sicut una sponsa non potest habere duos aut plures sponso, c. 1. *de Sponsa duor.* nec unum corpus duo capita, c. *Quoniam in plerisque de Offic. judic. ordinar.* Ita ut Ecclesia non potest habere duos sponso seu rectores, c. *Cum non ignores.* 15. *de Præb.* ibi: « Una Ecclesia unius debet esse sacerdotis; qui non per vicarium sed per se ipsum illi deserviat in ordine, quem ipsius Ecclesiæ cura requirit, nisi forte dignitati, vel præbendæ parochialis Ecclesia esset annexa, » ut dicitur c. *Extirpandæ.* 30. eod. Et hæc sunt principalia requisita, quorum unum si deest, contraria præsumptio inducitur. Possunt aliqui etiam pleraque jura parochialia pro requisitis ad eam; verum quia potest Ecclesia parochialis esse, et dictis juribus carere, ideo inter principalia requisita non numerantur, quamvis aliquam pro Ecclesia parochiali præsumptionem faciant, uti bene observat Barbosa, p. 1. 1, c. 1. a. n. 27; Gonzalez, ad Reg. cancell.; Glossa, 6.

n. 86. et seqq. et alii. (ADNOTATIO XLIV.)

9. *Jura parochialia, quæ?* — Quæritur II. Quænam sint jura parochialia, Ecclesiæ et parochi competentia? Resp. Præter potestatem fori pœnitentialis esse potissimum sequentia. I. Quod parochiani proles suas proprio parochi teneantur baptizandos offerre, arg. consil. Florent. in decreto Eugenii, et docet cum communi aliorum Layman, lib. V. tract. II. cap. VII. n. 2; Barbosa, *de Offic. et potest. paroch.* p. 1. cap. XVIII. n. 1, dicentes parochianum graviter peccare, si absque licentia proprii parochi prolem baptizandam alieno offert. II. Ut diebus Dominicis et festivis in ecclesia parochiali Missam audiant, c. II. h. t. Num autem et quando alibi audientes satisfaciant præcepto, dicemus infra tit. *de Celebrat. Missæ.* III. Ut semel in anno parochi proprio confiteantur, textu claro c. « Omnis utriusque sexus fidelis postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua peccata semel in anno, proprio confiteatur sacerdoti. » Ex consuetudine tamen et privilegio Clem. *Dudum.* 2. § *Statuimus etiam de Sepulturis,* et alibi habetur, quod dicti parochiani etiam tempore, Paschali confiteri possint religiosis mendicantibus. IV. Ut reverenter ad minus in Pascha Eucharistiæ sacramentum ibidem suscipiant cit. c. *Omnis utriusque.* V. Ut non nisi a proprio parochi sacramentum Extremæ Unctionis percipiant; Clem. 1. *de Privileg.* ubi etiam exemptis ac privilegiatis regularibus sub pœna excommunicationis prohibetur, ne absque licentia parochi sacramentum hoc alicui parochiano administrarent. VI. Quod mortui in parochiali Ecclesia, vel cœmeterio sepeliri debeant, nisi alibi sepulturam majorum habeant, vel propriam eligant, juxta dicta tit. præced. VII. Quod in Ecclesia parochiali coram proprio parochi matrimonia et nuptiæ solemniter celebrentur, c. 1. *de Clandestin. despons.* et can. 1. caus. 30. q. 5. juncto concilio Tridentino, sess. 24. *de Reform. matr.* cap. 1. de quo magis infra lib. IV. VIII. Quod parochi solvi debeant decimæ, primitiæ, et oblationes, juxta dicenda titulo sequenti IX. Quod limites, fines, seu termini parochiarum nec per tempus immemorabile præscribi valeant, arg. c. *Super eo.* 4. h. t. et amplius dictum est III. II. tit. XXVI. *de Præscriptione.* Plura de quovis horum jurium in suo loco. (ADNOTATIONES XLV et XLVI.)

10. *Parochianus proprius et alienus, quis?*

— Quæritur III. Quoad alteram rubricæ partem, quinam sint, et dicantur proprii et alieni parochiani? Resp. Omnes et solos illos esse, et dici parochianos, qui intra limites alicujus parochiæ verum, vel saltem quasi domicilium habeant, sive dein sint laici, sive clerici, (nisi alibi beneficium cum residentia habeant), ibique resideant ob dicta supra n. 14. dicunturque proprii respectu illius parochi, in cujus parochia degunt: alieni vero respectu alterius parochi, in cujus parochia domicilium non habent. Tuschus, *ŷ. Parochiani.* conclus. 99. n. 1; Vallensis, h. t. § 1, n. 12; Engel, eod. n. 22. et communis aliorum. Patetque ex terminis; parochiani enim a *Parochia* dicuntur: si quis in duabus parochiis domicilium habet, ibique æqualiter, vel quasi æqualiter habitat, utrobique parochianus est, Barbosa, *de Offic. et potest. episc.* p. 2. alleg. 32, n. 69, citans plures rotæ decisiones, arg. c. *Cum quis.* 2. *de Sepult.* in 6. Si vero inæqualiter in illis habitat, ibi parochianus erit, in quo per notabiliter majorem anni partem moratur. Barbosa, loc. cit. n. 70; Menochius, consil. 398, n. 16. et 17. arg. l. I. § *Æstatem.* ff. *de Aqua quotidian. et æstiv.* Quod si domicilium seu domum in confinibus duarum parochiarum habet, ibi parochianus erit, ubi domus aditum habet. Bart., in l. VI. n. 6. in fine. ff. *de Damno infect.*; Barbosa, loc. cit. n. 71. Ratio est, quia ex aditu judicatur domus, cujus sit, Baldus, consil. 60. n. 5. volum. 1. Casu quo autem domus hujusmodi duas haberet portas, seu aditus, erit ibi parochianus, ubi porta principalis, et aditus magis frequentatus habetur. Riccius, in *Praxi fori ecclesiast.* decis. 333. n. 1; Barbosa, loc. cit. n. 71. et alii. Cæterum quid sit domicilium verum, et quasi tale, vide lib. II. § 2. *de Foro competent.* ubi de hoc late.

11. *Laici pro libitu mutare possunt parochiam et diœcesim; non item clerici.* — Quæritur IV. An quis pro libitu domicilium, consequenter etiam parochiam mutare valeat? Resp. Quamvis laici id liberrime possint, ita ut absque ulla licentia non tantum ab una parochia, sed etiam ab una diœcesi ad aliam migrare possint; in quo casu etiam jura parochi, et episcopi cum eo migrant, juxta communem arg. c. *Ultim.* h. t. et ibi Glossa, *ŷ. Habitatores.* Clerici tamen ab una diœcesi ad aliam absque licentia, et dimissionis proprii ordinarii transire, vel ab alieno recipi non possunt arg. can. 7. et seqq. dist. 71.

juncto c. 1. et II. *de Clericis peregr.* quod si inconsulto episcopo proprio diœcesin deserant, eisdem sacrorum exercitium interdici debet, juxta concilium Tridentinum, in. c. fin. h. t.

## TITULUS XXX.

## De Decimis, Primitiis et Oblationibus.

1. *Ratio ordinis.* — Inter jura parochialia unum ex præcipuis est jus percipiendi decimas, oblationes. Quapropter ordine non incongruo post titulum de parochiis præsens subjungitur. Et quoniam materiam summe practicam, ac continuo occurrentem continet, indeque celebris habetur, eum pro dignitate sua explanare conabimur.

## § I.

DE NATURA, ET DIVISIONE DECIMARUM: UBI ETIAM DE JURE, QUO INTRODUCTE SUNT, ET DEBENTUR.

2. *Decimæ definiuntur.* — Quæritur I. Quid, et quotuplices sint decimæ? Resp. I. Decimæ ad propositum bene definiuntur, quod sicut « decima pars omnium fructuum et proventuum juste acquiritorum, Deo in recognitionem universalis, supremique domini debita, atque Ecclesiæ ministris solvenda. » Est in re communis. Patetque declarando singulas particulas. Dicitur *Decima pars* loco generis, in quo convenit cum quavis alia parte decima cujuscunque rei, etiam ad profanum finem ordinatæ: cujusmodi *Decima* multiplex reperitur in jure civili, ut l. *Cuncti.* 3. c. *de Metall.* ubi fossores privati Decimas de metallis solvere jubentur fisco: simile quid habetur § 1. *Instit. de Pœn. temere litig.* et lib. II. § 2. ff. *de Pollicit.* Dicitur « omnium fructuum et proventuum juste acquiritorum. Nam fidelis homo de omnibus quæ licite potest acquirere, decimas erogare tenetur, » ut dicitur c. *Ex transmissa.* 23. et c. *Non est.* 22. eod. diciturque magis infra num. 25. et seqq. Dicitur « Deo in recognitionem universalis, supremique domini debita; » quibus verbis indicatur primarius et principalis finis dandi decimas, videlicet ut iisdem colamus Deum, conteste-